Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1263
Quelle:
Copyright:

ſtrictis additur in calce a *Thomae* et *Durandelli* adſecla: *Explicit Corruptorium.*

IV. *fol.* 220. ἀνεπιγραφως, ſed e praevio Codici Elencho Opuſculum *de vniformitate forme.* Eſt illud in edit. *Rom. ſupracit.* T. XVII. *n.* XLV. minuto charactere impreſſum, ideoque dubium, quod etiam ſilentium Autorum a Bibliothecariis p. 339. adductorum confirmat, inſcriptum ibi: *De Pluralitate Formarum*, et incipiens: *Quoniam ſanctum eſt honorare ueritatem pre ceteris amicis, ut dicit philoſophus in primo Eth.* &c. Interim aut *Thomae* ſit, aut non ſit, quamvis illud *Petrus de Bergomo* in *Tabula* ſua titulo *de unitate vel Pluritate Formarum Thomae* adtribuat, tacere certe non debeo, paene dimidium ejus in Editis deeſſe, adeſſe vero in noſtro Codice. Nam ubi Edita deſinunt: *ne propter multitudinem autoritatum faſtidium lectori generetur*, progreditur Noſter: *et accedo ad tertiam viam* (ſecundam praemiſerat) *principale propoſiti oſtenſuram. Tertia via etiam ſumitur ex rei vnitate niſi enim ſubſtantia generabilis eſſet ſimpliciter una, ſi ad eius eſſentiam pertinerent plures forme* &c. et ſic ultra 11. *columnas* procedit diſſertatio, dum in haec verba terminetur: *que eſt forma et actus primus et exemplar dei. Cui ſit gloria in ſecula. Amen.*

V. *fol.* 226. Biga Quaeſtionum. Prior incipit: *Dicit auguſtinus, quod ad hoc proſunt ſuffragia mortuis, ut tolerabilior ſit eorum dampnacio. Diuerſimode intelligitur a doctoribus magiſtris. Prepoſitiuus enim dixit, quod propter hoc verbum ſuffragia proſunt ualde malis in inferno dampnatis. ſed non ad liberacionem* &c. Rejicitur haec opinio, uti aliae *Cantoris Pariſien.* (Petri) *Stephani* (Langtoni) *Cantuar.* et (Guil.) *Altiſiodorenſis*, et putatur *catholicam habere rationem*, quod, *ſi* Damnatus *cauſa fuit, ut bonum fieret per alium, tocies decreſcit uermis, quocies bonum illud multiplicatur, et quod ad hoc ſolum prodeſt dampnatis eccleſie ſuffragium.* Praemittit vero Autor, temporibus ſuis (Sec. 14.) in doctrina florentes theologos omnes iſtas quaeſtiones abhorrere. Altera Quaeſtio: *Utrum peccatum mortale ſit ad uxorem propriam menſtruatam accedere?* deciditur negative.

VI. *fol.* 227. Diſſertatio Epiſtolaris hujus initii: *Reuerendo patri Fratri Petro dei gratia archidiacono corinth. frater Robertus cantuarien. ſacerdos indignus. quicquid ſibi ſalutis gracie et honoris. Nuper mihi ſcripſiſtis quod uenerabilis pater Dominus S. pariſienſis epiſcopus vobis ſignificauit quod ego de conſenſu omnium magiſtrorum oxonienſ. tam regencium quam non regencium articulos condempnauerim quosdam in grammaticalibus, quosdam in logicalibus, quosdam in naturalibus. et in epiſtola ueſtra plures inſeruiſtis de naturalibus fauorem exhibentes in pluribus facto noſtro. In aliis autem uobis apparuit mirabile factum eſſe tanquam dampnati eſſent articuli*